

to : Illud est necessario exprimendum, quo non expresso fit injuria, et præjudicium tertio; nam papa nunquam vult tertio præjudicare per vulgaria; atqui si copula non exprimitur, præjudicatur tertio, officialibus nempe curiæ, qui propterea fraudantur majori taxa, seu compositione, ad quam habent jus, quia officia emerunt sub conditione percipiendi solita; quorum jura tollere, aut eis præjudicare nunquam censendus est papa, ut cum aliis bene observat Corrad., lib. VII, cap. VII, num. 67, arg. c. *Super eo. de Offic. Delegat.* et l. *Id.*, quod nostrum ff. *de Reg. Jur.*

190. *Quando agitur de valore sacramenti, non licet sequi sententiam minus probabilem, qualis est contraria nostræ.* — Probatur quinto : quando agitur de valore sacramenti, non licet sequi sententiam probabilem minus tutam, relicta probabiliori tutiori, uti patet ex decreto Innocentii XI, opinionem contrariam condemnantis; atqui spectatis probationibus supra dictis, stylo curiæ, et declarationibus cardinalium sententia nostra requirens expressionem, copulæ præhabitæ, si non moraliter certa, saltem probabilior videtur, simulque hic agitur de sacramenti valore, utpote qui a valore dispensationis dependet : ergo, etc. Hinc minime audiendus, minus sequendus est Justis in eo, quo propositioni damnatæ conformiter dicit, dato, quod nostra opinio (videlicet, valere dispensationem etsi copula præhabitæ non exprimitur) sit minus probabilis, ex quo tamen probabilis est, ut diximus, potest quis tanta conscientia eam sequi relicta probabiliori, quia ad effectum non peccandi, sufficit in foro conscientiæ sequi opinionem probabilem : siquidem hæc doctrina damnata est, ut dictum.

191. *Si copula est occulta, non est necesse eam exprimere in supplicatione.* — Dicitur autem notanter num. 185, si copula jam est publica : hæc enim si est occulta, ejus expressionem necessariam non esse, bene cum aliis docet Sanchez, lib. VIII, disp. 25, num. 10. Ratio est : quia præsumi non potest, quod Ecclesia pia mater velit, ut quis se ipsum gravissime diffamet, et vitæ periculo exponat, manifestando incestum occulte commissum. Unde sicut nullum aliud, ita neque crimen occultum in foro externo pro palare tenetur petens dispensationem. Hinc argumenta hactenus pro necessitate exprimendi copulam allata intelligenda sunt de

casu, quo copula jam est manifesta; neque papa velle censetur, neque officiales curiæ juste prætere possent, ut ob aliquam majorem taxam eis obventuram, oratores manifestando, in foro externo gravissimum incestus delictum occultum, famam, et vitam prostituant.

192. *Nequidem in pœnitentiaria.* — Et quamvis Sanchez, loc. cit., num. 11, velit, quod copula existens occulta saltem apud sacram pœnitentiariam exponi, et sollicitari debeat, ut vitium dispensationis suppleat. Verum hujus expressionis non apparet solidum fundamentum; si enim, ut ipse fatetur Sanchez pro utroque foro valide dispensatur a dataria v. g. vel cancellaria, tanquam dicasterio pro utroque foro deputato, non apparet, cur dein adhuc etiam in pœnitentiaria pro solo foro interno deputata proponatur incestus, præsertim cum incestus cum consanguinea propria dispensatione non indigeat, et ob illum sacra pœnitentiaria taxam exigere nec possit, nec soleat, utpote quæ cunctas suas litteras expedit gratis, et propterea a tergo litterarum signat gratis ubique; uti notat Sanchez, lib. VIII, disp. 34, n. 64.

193. *Publica vero debet exprimi etsi habitæ sit post litteras apostolicas jam obtentas, sed nondum executioni mandatas; secus si sit post executionem.* — Cæterum debet copula publica (non item occulta) exprimi, etsi eam oratores primum habuerint, postquam supplicationem Papæ jam præsentarunt, vel postquam Papa mandatum de dispensando jam expedit, si delegatus illud executioni nondum mandavit, seu si hic actu nondum dispensavit, licet dispensati matrimonium adhuc non contraxerint. Pirrh. Corrad. lib. VIII, cap. 1, a n. 38; Sanchez, lib. VIII, disp. 24, n. 11. Ratio est, quia antequam delegatus dispenset, dispensationis gratia non censetur perfecta, consequenter semper adhuc currit necessitas exprimendi copulam publicam præhabitam, prout bis expresse declaravit etiam sacra Congregatio apud Corrad. loc. cit. n. 42.

Prima sic sonat : « qui Romam miserunt pro dispensatione, et habito nuntio quod litteræ fuerunt expeditæ, contraxerunt, vel se cognoverunt, et ita verum est, fuisse expeditas, et habere datam ante contractum, vel commixtionem, nullas dispensationes esse, congregatio cardinalium censuit. »

Altera sic sonat : « Congregatio cardina-

lium censuit dispensationem reddi nullam ex copula præcedente dispensationem, si de ea non fuerit facta mentio in supplicatione : copula vero sequentem post dispensationem ad ordinario factam non impedire matrimonii validitatem. »

194. *Non est necesse exprimere copulam esse sæpius habitam.* — Illud tamen notandum, non esse necesse exprimere, quoties copula sit habitæ, sed sufficere, si exprimitur copulam esse habitam. Sanchez, lib. VIII, disp. 24, numer. 7; Justis, lib. I, cap. IV, num. 162. Garz. p. 8, cap. III, num. 77, et alii communiter. Corrad. lib. VIII, cap. 1, num. 79, testans de praxi. Ratio est; quia multitudo copulæ non auget affinitatem, nec reddit difficiliorem dispensationem.

Ex hactenus dictis patet, nostram sententiam de necessitate exprimendi copulam, minime esse duram; cum enim juxta eam copula occulta exprimenda non sit, publica vero, si, ut fieri debet, exprimitur, dispensationem magis faciliat, et exprimentem diffamet, utpote jam prius diffamatum, non apparet, cur quis difficultate velit, copulam manifestare; nisi quia majorem pœnam sustinere, majoremque taxam æquitati conformem, aliis ad terrorem, et exemplum merito fuit statutum.

195. *Si petitur dispensatio super impedimento affinitatis, debent exprimi omnia, quæ pro dispensatione consanguinitatis sunt exprimenda.* — Quæritur III. Quænam necessario debeant exprimi, quando petitur dispensatio super impedimento affinitatis et publicæ honestatis? de quorum primo tit. XIV, altero autem tit. IV. Resp. I. Super impedimento affinitatis debent exprimi omnia, quæ a n. 163, de consanguinitate diximus esse manifestanda, videlicet I. Gradus juxta dicta nu. 163. II. Multiplicitas vinculi, si adest, juxta dicta nu. 183. Et quidem in eadem supplicatione, conformiter dictis n. 166. III. Etiam gradus propinquus, si inæqualiter distant, per dicta a n. 266. IV. Copula præhabitæ, juxta dicta a nu. 183. Ratio est; quia jura, stylus curiæ, et rationes in hoc puncto de consanguinitate, et affinitate æqualiter procedunt, juxta communem doctorum; patetque ex Bulla Pij V, supra n. 167, allegata.

196. *Item an affinitas orta sit ex copula licita vel illicita?* — Ulterius debet exprimi, utrum affinitas proveniat ex copula licita,

vel illicita, si super primo, vel secundo gradu petitur dispensatio. Sanchez lib. VIII, disp. 24; Justis, *de Dispens.*; nu. 151, et alii. Ratio est : tum, quia difficilius dispensatur super affinitate ex copula licita, quam illicita; tum ut cognoscat, an etiam concurrat publica honestas, hæc enim cum semper concurrat cum affinitate ex copula licita, tacite exponitur, et super eadem tacite dispensatur, si exprimitur, quod affinitas orta sit ex copula licita.

197. *An etiam, et quando debeat concurrere honestas publica exprimi.* — Unde, ut bene ibidem docet Sanchez, non est necesse, ut quis concurrentem cum affinitate exprimat etiam publicam honestatem, si exprimit affinitatem ex copula licita, secus si in genere tantum illam exprimat; quia, cum tunc de affinitate tam ex copula licita, quam illicita intelligi possit, ex hac autem non oriatur publica honestas, debet ista honestas, necessario exprimi; cum alias super ea utpote nec tacite nec expresse proposita non caderet dispensatio, quæ tanquam odiosa, et stricte ultra expressa non extenditur per dicta superius. Hoc ultimum tamen limita in casu, quo super tertio vel quarto affinitatis gradu petitur dispensatio : tunc enim nec est necesse exprimere, ex qua copula oriatur, nec an concurrat cum honestate publica; hoc ipso, quod affinitas ex copula illicita ultra secundum gradum non extendatur, consequenter si tertius vel quartus gradus exprimitur, sufficienter jam innuitur, eam esse ex copula licita, et habere secum concurrentem honestatem publicam. Et hinc num. 169. Notanter dictum est; « si petitur dispensatio super primo, vel secundo gradu affinitatis. »

198. *Debet etiam exprimi, an sit in linea recta, vel transversali.* — An affinitas sit in linea recta, vel transversali, exprimi quoque debet, Sanchez, loc. cit., num. 14; Justis, loc. cit., num. 152. Ratio est; Tum vel non datur dispensatio in linea recta affinitatis ex copula licitæ, juxta dicta tit. XIV, vel ducere affinem in linea recta v. g. matrem, vel aviam, aut neptem uxoris defunctæ, aut patrem vel avum, vel nepotem mariti defuncti longe indecentius est, quam affinem in transversali v. g. sororem, aut ex sorore neptem uxoris defunctæ. Addit tamen recte Sanchez, loc. cit., nu. 14, lineæ rectæ vel transversæ expressionem non esse necessariam, si affinitas oritur ex copula illicita, eo

quod ex hac non oriatur notabiliter major reverentiæ obligatio ex linea recta, quam ex transversa.

199. *Si dispensatio principaliter petitur super impedimento publicæ honestatis, debet exprimi, an ex matrimonio, vel sponsalibus proveniat?* — Resp. II. Si super honestate publica petatur dispensatio, debet exprimi, an sit ex sponsalibus, vel matrimonio. Justis, lib. I, cap. IV, n. 152; Sanchez et alii, quia ex matrimonio fortius oritur vinculum honestatis publicæ, quam ex sponsalibus. Dixi, si super primo gradu, quia, si super remotiori petatur, id exprimere non erit necesse, quia jam scitur, eam peti super honestate ex matrimonio hoc ipso, quod ex sponsalibus primum gradum non excedat per dicta tit. IV.

200. *In petitione super spiritualis cognationis dispensatione debet exprimi, an sit filiatio vel compaternitas.* — Quæritur IV. Quænam necessario debeant exprimi, quando petitur dispensatio super impedimento cognationis spiritualis? de quo tit. XI. Resp. Debent oratores. I. Cognationem spiritualem ita exprimere, ut cognoscatur, an intercedat filiatio, et paternitas, vel maternitas, an vero tantum compaternitas, seu commaternitas; Sanchez, lib. VIII, disp. 24, n. 15; Aversa, de Matrim., q. 19, sect. 5. § Sexta. Justis, loc. cit., num. 168. Ratio est; quia longe indecentius est matrimonium inter patrem, et filiam spiritualem, quam inter compatrem et matrem hujus filię aut commatrem et patrem ejusdem. Accedit, quod in paternitate spirituali nunquam, aut vix dispensare soleat Papa juxta dicta num. 136.

201. *Item an simplex, vel duplex sit cognatio spiritualis? quando sit duplex?* — II. Exprimi debet, si cognatio spiritualis est duplex, puta, si quis alicujus prolem unam e fonte levavit, et eandem in confirmatione tenuit: vel ejusdem prolem unam tenuit, alteram levavit; vel si unus alterius liberos vicissim levavit, Justis, lib. I, cap. IV, num. 169; Aversa, loc. cit., et alii. Hæc tamen cognatio non multiplicatur, nec erit necesse exprimere, si quis plures ejusdem liberos e sacro fonte levavit, aut in confirmatione tenuit; uti ex declaratione Clementis VIII, refert Garcias, p. 8, cap. III, n. 78, Justis, loc. cit., n. 170. Neque erit necesse, exprimere, an cognatio spiritualis proveniat ex baptismo, vel confirmatione, sed sufficit ex-

primere spiritualem filiationem, vel compaternitatem. Sanchez, lib. VIII, disp. 24, n. 15. Ratio est; quia hæc nihil, vel parum mutant, vel augent.

202. *Super impedimento criminis exprimi debet, an cum, vel sine machinatione in morte existat.* — Quæritur V. Quænam necessario sint exprimenda, quando petitur dispensatio super impedimento criminis? de quo tit. VIII. Resp. Esse exprimendum I. An sit ex machinatione in mortem conjugis; an ex solo adulterio sine machinatione, vel an ex utroque simul. Justis, loc. cit., n. 188, et alii communiter. Ratio est; quia, si ex machinatione procedit, Papa pro foro externo nunquam dispensat, pro interno autem difficulter juxta dicta superius n. 138 et 139.

203. *Compendiosa repetitio eorum, quæ necessario exprimi debent.* — Quæritur VI. Majoris commoditatis gratia, quænam in compendio sint, quæ juxta dicta hoc § necessario exprimi debent, ne dispensatio sub. vel obreptitia censeatur? Resp. I. Super quocunque impedimento petatur dispensatio necessario exprimenda (præter justam, ac legitimam causam, quæ ad quamvis dispensationem requiritur juxta dicta § I) sunt in compendio sequentia, videlicet. I. Nomen, et cognomen oratorum. II. Nomen diocesis, et si petatur dispensatio ob angustiam loci, vel locum ad litus maris, etiam locus oratorum. III. Impedimentum in specie, et distincte, juxta dicta nu. 150. IV. Si oratores plura impedimenta habent, debent omnia exprimere, et quidem V. In eadem supplicatione juxta dicta nu. 151 et seqq. VI. Copula præhabita, juxta dicta n. 155. VII. matrimonium prius jam contractum, juxta dicta n. 157.

Resp. II. Pro dispensatione super impedimento consanguinitatis, præter dicta numer. præced. Specialiter exprimi debet I. Gradus consanguinitatis, et linea, juxta dicta num. 163. II. Multiplicitas vinculi per dicta num. 185. III. Etiam gradus propinquus, si inæqualiter distant, juxta dicta a nn. 166. IV. Copula præhabita, juxta dicta a nu. 183.

Resp. III. Pro dispensatione super impedimento affinitatis, omnia sunt exprimenda, quæ super consanguinitate, et insuper ea, quæ diximus, a nu. 196.

Resp. IV. Pro dispensatione super impedimentis publicæ honestatis, cognationis

spiritualis, et criminis compendiosa recapitulatio superfluit, quia compendiose jam habetur a. n. 199.

## § V.

DE FALSITATE, ET ERRORE PRECUM, SEU SUPPLICATIONIS, VITIANTE DISPENSATIONIS LITTERAS, EASQUE SUB. VEL OBREPTITIAS REDDENTE: ITEM DE TEMPORE ET MODO, QUO VERIFICARI DEBENT CAUSÆ PRO DISPENSATIONE OBTINENDA ALLEGATÆ.

204. *Causa dispensandi alia est motiva, seu finalis, ac principalis; alia tantum impulsiva.* — Notandum prius, falsitatem in supplicatione posse varie præcipue vero circa causas dispensandi contingere: idque vel circa causam motivam seu finalem (quæ etiam principalis vocari solet) vel circa impulsivam tantum. Ubi per causam motivam, seu finalem intelligitur illa, quæ movet Papam ad dispensandum, seu qua non expressa Papa vel omnino non, vel saltem non tam absolute, sed solum restricte, seu sub certis conditionibus, vel limitationibus dispensasset. Per causam impulsivam (quæ etiam secundaria, et minus principalis dicitur) intelligitur, quæ non movet ad dispensandum, sed juvat, et facit, ut facilius dispensetur, ita tamen, ut etiam illa non expressa pontifex nihilominus, etsi difficiliter dispensasset. Ita in re communis. Et patet ex dictis lib. I, tit. III, de Rescriptis. § 8, n. 181. Hoc notado.

205. *Non quævis, sed illa tantum falsitas vitiat dispensationem, qua non expressa papa non dispensasset.* — Quæritur I. Quænam falsitas precum, seu supplicationis, præsertim circa causam vitiet rescriptum, seu dispensationem, eamque sub. et obreptitiam, consequenter nullam reddat? Resp. 1. Non quævis falsitas, sed illa tantum vitiat dispensationem, qua non expressa pontifex non dispensasset; etsi per ignorantiam vel simplicitatem fuerit expressa. Ita communis, textu clarissimo c. super Litteris, 20. de Rescript. cujus textum, sicut et totam conclusionem amplius probatam, et explicatam vide cit. lib. I, tit. III, § 8, a n. 156.

206. *Falsitas circa causam finalem, seu motivam invalidat dispensationem.* — Resp. II. Falsitas circa causam motivam seu finalem etiam ex simplicitate, vel ignorantia commissæ vitiat, et nullam reddat dispensatio-

nem. Unanimis et certa. Arg. cit. c. Super litteris de Rescriptis. Accedit, quod omnis dispensatio expresse, vel tacite habeat hanc clausulam conditionatam; si preces veritate nitantur, textu claro c. II, de rescriptis. Quæ verificari debet saltem in principali, seu motiva causa; ne alias pontifex sine legitima causa dispensare videatur.

207. *Nisi sint plures causæ finales, et una saltem eorum vera.* — Limitatur tamen conclusio in casu, quo plures causæ motivæ seu finales, id est, tales sunt expressæ, quarum quælibet etiam tacitis aliis movisset ad dispensandum: tunc enim valet dispensatio, si unica est vera, licet una vel plures aliæ allegatæ sint falsæ, ut cum aliis bene advertit Sanchez, lib. VIII, disp. 21, n. 42 et 44. Sperel. decis. 30, n. 39; Justis, de Dispensat. lib. III, cap. I, n. 59; Gobath, in Theolog. experiment. Tract. 9, n. 633 et 615. arg. cit. c. Super litteris, 20. de Rescript. Ratio est, « tum quia utile non debet per inutile vitari » c. Utile de Reg. jur. in 6; Tum quia si saltem una causa est vera, et talis, ob quam etiam tacitis aliis dispensasset Papa, jam censentur reliquæ potius impulsivæ, quam finales, consequenter dispensationem non vitiantes, etsi sint falsæ, juxta conclusionem statim sequentem. Tum tandem, quia quando plura non necessaria narrantur, resolvitur copulativa in disjunctivam arg. c. Cum jam dudum. de Præbend. At cum disjunctive narrantur causæ, sufficit ad valorem rescripti alteram esse veram, textu claro c. Inter ceteras. de Rescriptis. Et ibi Glossa ac doctores communiter. Et hoc bene est advertendum, quia in praxi sæpe juvare potest.

208. *Falsitas circa causam impulsivam non vitiat dispensationem.* — Resp. III. Falsitas commissæ circa causam impulsivam non vitiat rescriptum seu dispensationem, nec obest valori illius. Hanc conclusionem solutis etiam objectionibus fuse probatam habes per doctores, jura, et rationes allegatas lib. I, tit. III, § 8, a n. 184. ubi vide, ne fiat superflua repetitio. Auctoribus, loc. cit., allegatis adde pro conclusione etiam Justis, de Dispensat. lib. I, cap. IV, n. 28 et plures alios ab eodem ibidem citatos.

209. *Unde cognosci valeat, causam esse motivam, vel impulsivam? Remissive.* — Si quæras, unde cognosci valeat, causam aliquam esse motivam seu finalem, vel potius impulsivam tantum, consequenter utrum illa ta-